peregrinum est opus eius ab eo. Quia incarnatus deus ut nos ad suam iustitiam
colligeret dignatus pro nobis est tamquam peccator homo uapulare. Et ali-
enum opus fecit ut faceret proprium. quia per hoc quod infirmans mala nostra
sustinuit. nos qui creatura illius sumus ad fortitudinis suae gloriam perduxit.
in qua uiuit et regnat cum patre in unitate spiritus sancti deus per omnia secula seculorum. amen.

EXPLICIT OMELIA XV. INCIPIT XVI.

MEMORATIS SUPERIUS THALAMIS: PROPHETA SUBIUNGIT. QUIA
thalami VI cubitorum erant hinc et inde. Qua in re magna nobis
Questio. questio generatur. cur superius thalamum uno cubito mensuratum dixit. Quem
uidelicet calamum VI cubitos et palmum habere perhibuit. atque inferius thala-
mos VI solummodo dicit cubitis mensurari. Si enim non calamo sed VI cubitis
mensurantur. palmus deest. qui superius in mensura calami dicebatur esse. Sed si
thalami sunt sensus atque cogitationes fidelium. in quibus castae animae conditori suo
in amore iunguntur. et per VI cubitos perfecta operatio. per palmum uero inchoatio
contemplationis exprimitur. sanctae uniuersalis ecclesiae debemus membra conspicere et cuncta
inuenimus. quia sunt in ea thalami uno cubito [calamo] et sunt alii VI tantummodo cubi-
tis mensurati. Sunt fideles quidam in illa omnipotentem dominum ita amantes ut et in
Sol. opere perfecti sint. et in contemplatione suspensi. Hi profecto calamum in men-
sura habent. quia et VI cubitos operationis. et palmum contemplationis possi-
dent. Quidam uero omnipotentem quidem dominum diligunt. et perfecte in bonis operibus
exercentur. sed tamen contemplari eius magnitudinem subtiliori intellectu ne-
queunt. Amant autem sed inuestigare gaudia claritatis ignorant. Hi itaque
sex cubitos habent et palmum non habent. quia etiam per amorem uncti sunt.
sed ex contemplatione disiuncti. Qui tamen thalami post commemorationem cubiti
unius hinc et inde esse referuntur. quia uidelicet in amore auctoris ac redemp-
toris nostri fideles animae et ex iudaico populo et ex gentilitate conueniunt. Unde

© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0280